Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37150
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Pater noster. Excelsus
in creatione. Suavis in
dilectione. Dives in here-
ditate. Qui es in celis.
Speculum eternitatis. co-
rona iocunditatis. thezaurus
felicitatis. Sanctificetur
nomen tuum. Ut sit nobis
mel in ore, cythara in aure.
devotio in corde. Adveniat
regnum tuum. Iocundum sine
permixtione. tranquillum sine
turbatione. securum sine a-
missione. Fiat voluntas tua
sicut in celo et in terra. Ut
omnia que diligis diligamus,
omnia que odis odiamus, et ea
tibi placita impleamus. Pa-
nem nostrum cottidianum da
nobis hodie. scilicet doctrina-
lem, sacramentalem, spiritualem.
Et dimitte nobis debita
nostra. Quecumque contra te
commisimus aut contra proximos,
vel contra nosmetipsos. Sic
et nos dimittimus debito-
ribus nostris. Qui nos
offenderunt iniuria verborum,
aut molestia verberum, aut
ablatione rerum. Et ne

nos inducas in temptacionem
Mundi. carnis. demonis.
Sed libera nos, a malo.
presenti. preterito. et futuro. Amen.
Ave Maria. porta paradisi,
stella mundi. destructrix inferni.
Gratia plena. perfecte kari-
tatis. virginalis castitatis. devote
humilitatis. Benedicta tu in
mulieribus. super omnem crea-
turam exaltata. incomparabi-
li sanctitate, mater genitoris effecta.
Et benedictus fructus ventris
tui Jhesus. Qui benedictionem
gratie in presenti nobis tribuat
et in die iudicii cum hiis qui
erunt ad dexteram benedicat,
ac filios benedictionis in gloria
constituat tuis precibus dei
genitrix gloriosa. Amen.